



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097

Festum Circumcision.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53072)



FESTUM CIRCUMCISION.

THESIS I. *Ut circumcideretur* ^{Circumci-}
Puer. Luc. 2. v. 21. *Triplex* ^{so.}
 est circumcisio Spiritualis. I. Prima
 fit gladio, seu *cultro Pœnitentiæ* abscin-
 dendo peccata. II. Secunda fit *cul-*
tro Meditationis, abscindendo omnes af-
 fectus ad peccatum. III. Tertia fit
cultro Mortificationis, tollendo omnes
 motus inordinatos carnis nostræ. *La-*
Selve.

THESIS II. *Ut circumcideretur*
Puer. Luc. 2. v. 21. Tria nobis
 dona, eaque diversa, JESUS suâ Cir-
 cumcisione confert: I. *Sanguinem* no-
 bis suum offert ad lavanda nostra pec-
 cata præterita. II. *Sacrificium honoris*
sui nobis porrigit ad curandam nostram
 superbiam. III. *Nomen* suum nobis
 donat tanquam clypeum fortitudinis in
 infirmitate nostra. *Biroat.*

Nomen
JESUS.

THESIS III. *Nomen ejus JESUS.* Luc. 2. v. 21. Nomen JESUS I. Consolatur afflictoſ. II. Armatur adverſus pericula. III. Sedat paſſiones, & tentationes. IV. Pellit malignos Spiritus. *Faber hęc Conc. 6.*

THESIS IV. *Ut portet Nomen meum.* Act. 9. v. 15. Ita Sanctus Paulus portavit in corde, in fronte, in ore, in manu, in calamo, in toto corpore. *S. Thom. Aquin. Serm. 1. in Conversione S. Pauli.* In Corde, ut S. Ignatius Martyr; in Fronte, ut Christus apud S. Edmundum; in Ore, ut caput abſciſſum S. Pauli; in Manu, ut S. Ignatius Loyola; in Calamo, ut S. Bernardinus Sen. in toto Corpore &c. ut Sponſa in Cantic.

THESIS V. *Nomen ejus JESUS.* Luc. 2. v. 21. Hoc nomen Lux, Cibus, & Medicina eſt: *Lucet* prædicatū, *Pascit* recogitatum, *invocat* Lenit, & ungit. *S. Bern. in Cantic. Serm. 15.* Verūm: Nemo ſibi de vocabulo blandiatur, ſi vult ſibi prodeſſe Nomen Domini; recedat ab iniquitate, qui invocat Nomen Domini. *S. Aug. Serm. 11. in Matth.*

THE

THESES VI. *Oleum effusum Nomen* ^{Effectus}
tuum. Cant. 1. v. 2. I. JESUS non ^{ejus.}
 ampliùs JESUS est, si ab ipso separas
Misericordiam. II. JESUS non est am-
 pliùs Salvator, si deponit suum erga
Peccatores Amorem. Crasset in *Consid.*

THESES VII. *Vocatum est Nomen* ^{Virtus e-}
ejus JESUS. Luc. 2. v. 21. I. No- ^{jus.}
 men JESUS est *Nomen Majestatis*, ac
 propterea adoratur in Cælo. II. Est
 Nomen *Bonitatis*, ac propterea amatur
 in Terris. III. Est Nomen *Potestatis*, ac
 propterea timetur in Inferno. *Id.* I.
 Jan.

THESES VIII. *Vocavit adversum* ^{Tempus.}
me tempus. Thren. 1. v. 15. Scili-
 cet Dies, Hebdomadas, Menses, An-
 nos; quid hi coram Judice contra nos
 aliquando loquentur? *Adduxisti tempus*
annorum tuorum. Ezech. 22. *Ascendent*
ab anno in annum. Zach. 14. v. 16. *Hoc*
anno morieris. Jerem. 28. *Anni Impiorum*
breviabuntur. Eccl. 10.


THESES IX. *Redimentes tempus.*
 Ephes. 5. v. 16. I. Christianus de-
 bet respicere *Tempus Præteritum*, ut redi-
 mat, considerando ut beneficium Dei
 no-

nobis benignè collatum, & à nobis malè contra Benefactorem impensum. II. Christianus debet providere *Tempus futurum*, ut prævertat, considerando media, quæ Deus nobis offert, ad procurandam felicem, & ad evitandam infelicem æternitatem.

*Novus
annus.*

THESIS X. *Dum tempus habemus*, Galat. 6. v. 10. I. *Depravatur tempus*, malè agendo, nihil agendo, aliud agendo. II. *Reparatur tempus*, poenitentiam agendo, virtuti studendo, Deo & cælo vivendo.

THESIS XI. *Ecce nova facio omnia*. Apoc. 21. v. 5. *Novus annus*, nova vita: verùm multi vivunt vitam antiquam in novo anno: Non sic: *Recedant vetera, Nova sint omnia*. I. *Corda*, II. *Voces*. III. *Et Opera*. *S. Thom.*



FESTUM EPIPHANIÆ.

Fides.

THESIS I. *Ecce Magi ab Oriente ve-*
ne-